

Eusebio Francisco Kino
Diary of Mediterranean Sea Voyage from Genoa to Cádiz
12 June 1678 to 14 July 1678
Latin Transcription by Dr. Peter Horwath.

Reverende in Christo Pater.

Antiqua Reverentiae Vestrae in me licet immeritum beneficia iam a teneris annis mihi collata exigebant, ut pridem ac ante meum ex Germania discessum Reverentiae Vestrae pro iis gratias referrem eidemque valedicerem. Veniam ergo commissi erroris mei demisse praecor, et de itinere P. Antonii et meo marittimo Genua Gades usque (nam de terrestri usque Genuam aliis scripsi) haec pauca cum rudi descriptione geografica itineris nostri terrestris et maritimi, tam nostrorum duorum quam coeterorum 17 Missionariorum, qui Genua hucusque nobiscum venere et etiamnum nobiscum incolumes versantur.

Discessimus Genua 12 junii, 19: P. Carolus Boranga, P. Adamus Gerschl, P. Andreas Mancher, P. Matthias Fischer ex Austria missi, P. Augustinus Strobach, P. Joannes Tilpe, P. Mattihias Cucullinus, P. Paulus Klein et P. Wenceslaus Christman Boemi, P. Antonius Kerschpaumer ex Germania Superiori, P. Carolus Chally siculus, et P. Theophilus de Angelis, Neapolitanus missus, in Philippinas destinati; P. Josephus Neuman et Simon Boroschi coadiutor temporalis ex Boemia missi, P. Joannes Rattgay et P. Thomas Revel Austriaci, P. Joseph Castro Giovani Siculus, Magister Carolus Calvannesse mediolanensis et ego destinati in Mexicum. Una circiter hora ante meridiem e domo professa ad Genuensem portum, comitantibus nos pluribus patribus genuensibus, descendimus, et in duabus naviculis ad Capitaneam, quae iam e portu ad quartam ferre germanici milliarii exiverat, devecti sumus. In ea Capitanea cui illustrissimus Capitaneus dominus Antonius Francisci praefectus est, omnes recepti sumus, in ea toto nostrae navigationis tempore deinde versati. Navis alia, divo Nicolao dicata, pauciores susceperat homines, utpote minor quam nostra, atque etiam paucioribus tormentis bellicis instructa, non tamen ex paucioribus mercibus onusta erat. Pretium navigationis nostrae erat computato victu, ut nostrorum quilibet usque Gades imperiales 60 persolveret; quae quidem summa anticipato dari domino Capitaneo debuit. Tractati sumus, me quidem iudice, bene admodum et laute, quaternis ut minimum ferculis, saepe 5, et frequenter 6 cibis, praeter frequentes fruges, tam in prandio quam in coena. Sub crepuscolo vespertino decantatae sunt ab omnibus navis inquilinis pro more, quem deinceps quotidie tenuimus, Litaneuticae preces, praemissa antiphona Salve Regina, et subiuncto Responsorio, ut vocant Sancto Antonio de Padua, item psalmo de profundis, cum alia pia cantione de B. Virgine et aliis precibus, pro felici navigationis successu, pro avertendis tempestatibus, pro animabus in Purgatorio, pro existentibus in peccato mortali, et aliis. His finitis, campana nautica, non minori quam sit domestica nostra Ingolstadii, datum signum ad salutationem Angelicam. Hac tamen die, uti et sequenti nocte vix uno milliario a genuensi portu excessimus.

13. junii. Orta est summo mane gravis post pluvias tempestas, quae multum defatigavit nautas, tum gubernandis et regendis velis, tum elevandis in majorem navim scaphis, unde fulgura fulgentia per horam et amplius, magna nobis pericula intentare, ac certa minari viderentur; secutus deinde ventus optimus, celerrime nos tota die promovit. Sacrum mane fecerunt tres, ego, inchoavi, perficere non potui, coeterum brevi et pro toto navigationis tempore, Deo laudes, bene valui. Multi languebant ex maris nausea et stomachi doloribus; nec mensam ordinariam accedere potuerunt. Ventur noctis in septentrionalem mutatus est. Pernoctarunt in navi nostra tres hirundines.

14. Nostrum 4 Sacrum dixere, brevique alii melius habuere, ut omnes ad communem mensam comparere valuerint. Vidimus hodie montes insulae Corsicae, ventum habuimus bonum, sed admodum vehementem, ut terni a coena defuerint. Dictae vesperi consuetae Litaniae cum coeteris precibus, omnis etiam e conspectu tellus abiit, ut non nisi pontus et aeter appareret.

15. Nostrum 5, qui minus debiles quam reliqui videbantur, celebravimus. Hodie ad multas horas malatiam habuimus; praeter magnum delphinorum agmen et pisces grandem, Italis Capidolio, qui ingentem aquarum vim in altum, ad plures passus vomebat, balenam vidimus, quae navim ex maioribus in Danubio Ingolstadii, aut in Oeno Halae ad Oenum comparare solent, magnitudinem excedentem. Tam prandio quam cenae consuetae, cessante omnii fere maris nausea, interfuimus omnes. Qui in navi sancti Nicolai erant, nos magno clamore salutarunt, felix iter precati, nos itidem gratias egimus; quod etiam deinceps bis fere quotidie, mane ac vesper, factum est. Fuit ex nautis, qui postquam ingruissent tenebrae, me peccata sua Sacramentali confessione expiaturus conveniret.

16. Mane uti per praecedentem noctem semi malatiam habuimus donec circa meridiem ortus est ventus, vehemens quidem, sed fere contrarius; hodie praeter Admodum R. D. Canonicum Hispanum et Admodum R. F. P. Dominicanum item Hispanum seu potius Americanum, utpote in insula Cuba natum et educatum, nostrorum 4 sacrum dixerunt. Coeteri plerique sacra Sinaxi refecti sumus, omnes cum appetitu tam in prandio quam coena comparuimus. Vidimus pisces 4 ingentes magnam aquarum vim in altum eycientes.

17. Magna erat maris commotio et navis agitatio, nemo proinde hodie celebrare missam potuit, nihilominus tamen mirum quantum iter nostrum promovebatur, omnes fere maris nauseam maiorem utique quam alias unquam sensimus, ad commune prandium nonnisi quini, ad coenam nonnisi 6 comparuimus. Mensae ratio, tam in prandio quam in coena hodie prorsus singularis fuit: humi enim cybus sumi a nobis debuit, cum in mensa patinae satis tuto collocari non possent. Expansus ergo humi magnus tapes in conclave, alias refectioe nostrae assignato, strata desuper mappa, et instructa suis orbibus, cochlearibus, cultris, fuscinulis, linteisque, humillima utique mensa, cui non nisi humi, sedentes assidere valuimus. Durante coena venit nobis condolere, et nos solari, illustrissimus dominus Capitaneus. Noctu ventum mitiorem habuimus, attamen, nos eousque promoventem, et

18 mane ad conspicienda[m] libero oculo insulam Minoricam, unam ex Balearibus, feliciter pervenimus; etiam hodie nemo potuit sacrum dicere; circa horam octavam, dum alias propere pergeret navis, detectae sunt ex specula navigii nostri naves duae magnae a meridie ad nos adveniente; quae cum pro pugnaticis haberentur, in causa fuerunt, ut in tota navi nostra omnia ad pugnam disponderentur, strata nostra dedimus pro more nautico, ut ea iisdem certo ordine suspensis et dispositis velut loricam militarem sibi formarent nautae et milites pugnaturi, dum illis tecti, tutius hostes decertare eminus valerent; coeteras exubias nostras prout poteramus collegimus, et nos ad angulum illustrissimi Capitaenei plerique contulimus, quo nimirum liberior decertaturo militia aliisque officialibus a tormenta bellica, et alias militares functiones campus pateret. Quia vero paulo post de illis navibus dubitari coeptum est, a non alio quam ad nos cursum suum dirigerent, prandium sumpsimus nos, et paulo post nautae et coeteri milites; sed nondum ad prandii finem omnium pervenerant, cum iubeantur ad arma et stationes suas citissime redire ignotis illis navibus multum interea nostrae appropinquantibus. Verum non multo post, tum ex forma navium, tum, et vel maxime, ex suspensis vexillis, eas Anglicanas esse cognovimus, unde nos ad eas amice salutandas tantummodo disposuimus; quod et factum est septenis tormentorum bellicorum explosionibus; salutarunt nos vicissim Angli quinque aliis. Regiae enim erant, omnique armatura instructissimae, et cum pluribus aliis, maria haec ab insolentia Turcarum et pyratorum strenue tuentes. Vesperi post coenam, paulo ante Litanias, Magister Carolus Calvanesse insignem ex navis arce ad milites et nautas concionem habuit, qua illos uti et reliquos navis inquilinos, ad usum sacramentis poenitentiae, ad expiendam serio a peccatis conscientiam atque ad omnium virtutum ac cultum animavit.

19 junii, die dominico. Militum et nautarum multi confessionem sacramentalem, saepe a pluribus annis, et aliqua a tota vita, instituerunt; 7 nostrorum sacrum fecimus, sub meo sacra synaxi refecti sunt nautae et milites 15, multi plures ante, et post sacrum pro sacro tribunal absoluti; universim 70 hoc mane divino epulo sunt pasti, Vesperi circa medium quintae, tempore apud Italos consuetae aliam concionem ad convocatos iterum in navis forum nautas ac milites et officiales habuit P. Carolus Cali; ea finite recitata est ab omnibus etiam a nobis tertia Rosarii seu psalterii B. Virginis pars, quam immediate subsequutus est ventus optimus, nobisque desideratissimus, attamen deinde adeo vehemens, ut aliquos a coena abesse, alios ab eadem recedere coegerit. Secutae sunt aliquae, et antequam tenebrae ingruerent, in liberum Maioricae conspectum pervenimus.

20, Auditae mane aliquot nautarum confessiones, circa horam octavam visae, uti ante biduum a longe advenientes naves; omnia in navi nostra ad pugnam disposita; circa horam nonam naves, quas Turcicas ab Africana urbe Algeri emissas credimus, alio quam ad nos cursum suum verterunt. Lectum deinde a nobis sacrum, sed unicum. Vesperi ad insulam Ivicam, seu potius ad insulam illi vicinam Formenteram nomine, pervenimus. Insula haec altissimis arboribus plena instar magnae silvae est, feris plurimis omnis generis abundant; in eam velut in exilium, multi certorum criminum rei ablegantur caedendis lignis, aliisque duris laboribus per magnam vitae partem, saepe etiam per vitam totam puniendi et poenas daturi.

21. Festo B. Aloysii nostri die. Per noctem praecedentem ad aliquot milliaria in meridiem, seu etiam retrosum in orientem navis nostra ab adverso vento repulse est. Mane sex sacra a nostris celebratae sunt, reliqui sacro epulo refecti sumus, binis exceptis, quos adverse vexavit valetudo. Ex nautis confessi sacramentaliter 12, non multo pauciores Eucharistico pane pasce voluerunt. Sex ex nostris ob maris nauseam a comuni refectioe abfuere, privata eaque modica contenti. Occumbente sole promontorium seu caput Sancti Martini, primas scilicet Hispaniae seu regni Valentini, quas ab oriente advenientibus occurrunt, partes videre coepimus, sed et has oras tantum non ex conspectu tantum, nam ex conspectu ereptas mane sequenti vidimus, dum per noctem minus prosperum cursum tenuimus.

22. Ventus et mare nobis pacatas horas aliquas concesserunt, hinc plerisque nostri bene habuerunt. Lectae missae sex, auditae 10 nautarum Exomologeses, pleraeque ab annis pluribus. Circa meridiem rediimus in conspectum promontorii et montium sancti Martini, quibus vicina est urbs Alona (vulgo Alicante) ad quam tendebamus, nec itinere integrae diei, si bono potuissemus frui vento, ab ea distabamus, cui tamen ob frequentes malatias, neque intra triduum ad optatum hunc terminum pervenire valuerimus; coeterum haec maris quies, ut bene admodum valeremus omnes concessit.

23. Mane durante malatia septem a nobis lecta sacra, et unum quidem prima tamen vice ab eo tempore, quo in mari versabatur. A. R. P. Superiore nostro P. Carolo Boranga, pro sacro tribunali expiati nautarum 9, et aliqui sacro Eucharistiae Sacramento refecti. Vesperi ante consuetas Litanias pro concione dixit P. Theophilus de Angelis. Sub ipsis Litanis, velut festivis ignibus, festivitatis sancti Joannis Baptistae praelucimus, superius pro eis erectum in navi, assensisque laternis in seu lampadibus 40, quae ad medium fere noctis arsere, machina alia inter marinas undas accensa in flammam et in funum abiit; nobis interea saltem itiner Alonam versus tudentibus.

24. Festo di Sancti Joannis Baptistae, Confessi, a multis annis 18, generaliter undecim, alios a pluribus mensibus, ac numerum nautarum et militum 70 et amplius, totidem fere sacrae mensae accubere cum magna devotione, etsi tantum tria sacra legi potuerint. Ne autem plura legeremus. Effecerunt 5 a longe visae advenientes naves, quae certo pro Turcicis habitae sunt; unde si alias unquam ad certam fere pugnam disposita omnia, magno plane nautarum, militum, officialiumque labore, industriaeque, nec animo fortitudine generositateque minori, non paucis videre fuit. Quod interim securius decertaturi, se ad nostrorum pedes prosternerent, et peccatorum sarcinas deponerent, iamque nobis proximae errant naves illae adhuc ignotae, quod nulla signa exposuissent, cum autem abiis ideo omissum est (Regiae enim Anglicanae erant) quod nostras duas naves pro binis illis visis, quas ante paucos dies praemiserant, et etiam nobis 18 huius, ut insinuavi, occurrerant, habuissent. Nam etiam illustrissimus Capitaneus noster, nullum exponere signum seu vexillum statuerat, nisi prius expositum ab aliis vidisset. Sed expositis utrimque tandem signis, agnitisque vicissim navibus, post consuetam, per multorum tormentorum bellicorum explosionem, mutuam salutationem, misere ad nos cymbam Angli, num duas suas non vidissemus, sciscitantes; nos vicissim edocuerunt, nullam nobis diebus hisce timendam

navem Turcicam, cum septenas illarum non ante multos dies usque in urbem Algeri fugere compulissent. Ad prandium, non nisi post duodecimam, et finitis militaribus hisce negotiis accedere potuimus; vesperi magna maris quies facta.

25. Per noctem, quae diem hanc praecessit, saltem eo usque versus urbem Alonam seu Alicante perreximus, ut mane arcem in alto sitam monte, ac Pharum, ipsamque urbem libero oculo satis clare intueri potuerimus, non nisi ad duo milliaria germanica inde remoti. Nostrorum quini celebravimus sacrum, coeteri Sacra Synaxi refecti sunt. A prandio nostrorum quatuor ex Capitanea ad navem S. Nicolai ad audiendas nautarum et militum confessiones in cymba devecti fuimus. Bini alii ex nostris itidem ex nostra ad illam navem se ante prandium contulerant, et concione insigni ad rite confessionem sacramentalem instituendam auditores animaverant, ac ubi opus erat instruxerant. Humanissime omnes ab illius navis domino Subcapitaneo excepti fuimus. Magnis interim itineribus Alonam tendebamus, adeo ut dum ad capitaneam reverteremus, iam praemissa in urbem esset cymba, in qua cum R. P. Superiore nostro ac socio, ex dominis officialibus unus cum schedis valetudinis seu sanitatis testimoniis, pro petenda iuxta morem gentis in portum intradi facultate praeunt, Paulo post, praemissa tormentis bellicis consueta salutation, iactae sunt anchorae; rediit ad nos cum binis Patribus ex collegio Alonensi, nos omnes cum rebus nostris fere omnibus, probabiliter non amplius ad navim redituros, sed terrestri ut credebatur itinere Alona Gades abituros in duabus naviculis ad portum devecturus; uti et devecti sumus circa horam septimam vespertinam, expectantibus nos in portu binis aliis Alonensibus Patribus, ac a quibus magna comitate in Collegium deducti, charitate, humanitateque maxima excepti et habiti sumus. Una hora postquam in Collegium perveneramus, sumpto prius frigidissimae aquae haustu cum saccaraceo pane, dum coenula pararetur, ad videndam processionem, quam hora noctis (huius loci obscura) nona, solemniter ac multis nobilibus candidis facibus illustribus, plurimisque religiosis, splendidam, circumlato Sacro S. Veronice Velo, seu Sacro Christi Sudario, ad avertendam pestem, quae in vicinis quibusdam urbibus grassatur, et ad optinendam pacem, hic loci instituebant. Domum reversi, sumpta coena in Gymnasio plenique pernoctavimus.

26. Die dominico, legimus omnes Sacrum in novo et eleganti collegii nostri templo, ternis exceptis, qui reliquorum nautarum et militum in navibus, tam capitanea quam S. Nicolai, confessiones exceperunt, eosdemque et alios lecta ibidem missa, Sacra Synaxi refecerunt. Tam vehementem tamen ventum tres isti, praesertim dum in urbem ex navibus in navicula redirent, experti sunt, ut non leve submissionis periculum subiercerint.. Nostrorum quatuor ad concionem hispanicam, quae pro triduana. Ad optinendam pacem et avertenda pestis pericula habebatur, nos contulimus. Ea a quodam admodum R. D. Canonico, nostrorum alias amantissimo, atqui praecedente die a R. P. Rectore Huiate, ut nostrorum quaternos, vel senos, posset hospitio suo excipere, petierat enimissime eloquenter et graviter habebatur; ad ferventissimas preces hoc comprecationis triduo ad Deum fundendas, auditores suos, efficacissimis argumentis animans. Ad simile autem erga hospites nostros obsequium, etiam alii urbis domini se et suas aedes pro eo tempore, quo hic eramus versaturi, humanissime obtulerant. Deliberatum, praesertim hodie,

acriter, an reliquum itineris, quod Gades usque debebamus, via terrestri aut in priori navi instituendum esset; per certas enim literas, easque recentissimas, R. P. Lector acceperat Gadibus, Flotam Indos 2 julii abituram; unde etsi spes erat discessum illum classis ad 10, vel 12 julii differendum, indubitatum tamen erat nobis maturatione et praeparatione opus esse. Statutum tamen ob multa incommoda, quae terrestri itinere perrecturis obstitura videbantur, maritimo itinere Gades usque pergere.

27. Vesperi, hora quinta, cum R. P. Rectore et coeteris Collegii inquilinis missionarii omnes ad compraecationem horariam nos contulimus, etsi alioquin in triduana recollectione, minus tamen rigorose pro more ac constitutione loci et temporis, pro renovatione votorum ad Festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli instituenda versaremus. Numero eramus Patres Societatis his loci alias numquam viso, et qui multis admirationem, et varios pietatis sensu pareremus. Peregimus horariam devotionem nostram in summon choro, coram altari summo, et coram exposito Sacro Christi Sudario. Hac compraecatione nostra finita, in alio templi choro interfuimus decantatis musico concentu praecibus litaneuticis, et quamvis haec musica variis instrumentis exornetur, Germanarum vocum harmonia tamen praeplacere videtur.

28. P, Andreas Mancher et ego missam legimus in summo nobili Templo, quod in eodem tunc Sacrum Velum asservaretur, alias in monasterio S. Veronicae, ternis custoditum clavibus extra urbem asservari solitum, atque hoc ipsum sacrum Christi Sudarium deosculaturi una cum R. P. Rectore finito prandio redymus missionarii omnes. Circa quartam verspernam interfuimus pariter omnes fini congregationi triduanae, et processioni, in qua denuo sacra Christi effigies circumferebatur. Ante coenulam seu collationem, ut dicimus, habita a R. P. Rectore idiomate hispanico in templo, clausis ianuis, ferventissima de voto paupertatis cohortatione. Post recreationem vespertinam itidem in templo, dictae a nobis omnibus, more quo in Germania dici solent, litaniae Sanctissimi Domini, et his finitis, extinctis omnibus luminibus, facta est ab omnibus disciplina, et quidem ad illud temporis intervallum, quo R. P. Rector pariter in seipsum interim flagello desaeviens, psalmum de profundis pronuntiaret, nobis alteros versiculos proferentibus.

29. Mane, sub consuetae meditationis initium, nos in templum ad renovationem votorum contulimus, duobus exceptis, qui in capitanea nostra navi legerunt missam. Omnes in templo nostro celebravimus. In prandio laute ac solemniter habiti sumus. A prandio inviserunt nos varii domini ex navi et navigatione nostra nobis noti ac familiares.

30 junii. Nostrorum 4 in monasterium sanctae Veronicae ad horam extra urbem situm exierunt, ibique ad sacrum Sudarium Christi incruentam Deo hostiam obtulerunt. Coeteri in templo nostro legimus; fuit ex praecipuis inter milites navis nostrae, qui ad sacram confessionem et Communionem obeundam, in templum nostrum pervenerint. A prandio, seu sub vesperam, plerique ad mare et circa urbem exivimus. Miram Reverendorum Dominorum humanitatem, socius meus et ego, experti tunc fuimus, quando ad maris littus, loco amoeno, elegantibus in subsellis sedere rogati, ad nobis non ingrata spectacula invitati sumus, haec autem non procul

inde per plateas circumacto, ingentis magnitudinis tauro, honori sancti Joannis Baptistae immolando exhibebantur. Miscebant interim Reverendi illi Domini colloquia sanctissima de bonis, qui per orbem totum Dei favore, a Societate nostra fiunt. Binos P. Avilas me audire mihi videbar, etiam nostrorum doctores et instructores.

1 julii. Vesperi itum in curiam, ad postulandum testimonium seu schedam sanitatis. Visebantur in praecipua illius Curiae aula, praeter magnum augustumque altare, picturae pulcherrimae, quibus seorsum omnes et singuli Aragoniae reges sumptuosissime et elegantissime exprimebantur.

2. Celebravimus hic festum Visitationis B. Virginis, sed privata devotione, alias in Hispania publice celebrari non solet. Illustrissimus Capitaneus navis nostrae nos mature moneri curavit, ut vellemus in crastinum ad conscendendam navim nos parare. Vesperi hora sexta, una hora scilicet cum dimidia maturius solito, ad coenam vocati sumus. eaque finita octoni nostrorum ad navim, ibidem pernoctaturi exierunt, reliqui illa nocte in collegio substitimus.

3. Die dominico. Qui in urbe remanseramus summo mane ante auroram surreximus, et sacrum mature diximus, et sumpta chiocolata ad navim nostram, quae iam cum navi sancti Nicolai extra portum exiverat, nos contulimus, comitantibus ad portum usque patribus Alonensibus, quibus, quod nos per octiduum tam liberaliter et cum summa charitate aluissent et habuissent, 43 imperiales reliquimus. Coeteri qui in navi pernoctaverunt, plerique missam post adventum nostrum in ipsa navi legerunt. Tota tamen hac die, ob defectum melioris venti in conspectu Alonensis urbis substitimus. Anta consuetas vespertinas litanias, recitata est a tota navi tertia Rosarii seu psalterii B. Virginis pars.

4. Ante prandium fere fuit continua malatia, lecta sunt 6 sacra. Circa undecimam ventus ferventissimus inchoavit, cuius ope toto pomeridiano tempore, et per sequentem noctem, quavis hora ad duo millia germanica Gades versus, promobeamur. Visi pisces plurimi navi vicinissimi. Circa sextam vespertinam, conspeximus duas, ab ortu advenientes naves, quas pro Turcicis, utpote ab Algieri urbe, seu ab Africa littoribus vela facientes, habuimus. Ad pugnam ergo disposita omnia, et tota nocte in utraque navi nostra rebus nostris invigilavimus, lucente interim luna plena et serena.

5. Ipso diei diluculo naves illae, quas revera turcicas esse tum ex forma navis, et puppis praesertim a velarum clare collegimus, nonnisi medio milliario germanico a nobis distabant, unde adhuc ferventius disposita a nobis ad pugnam reliqua. Sed circa horam octavam naves turcicae suis viribus merito dissitae, elevates velis maioribus, alio, nempe ad Hispanica littora cursum suum direxerunt. Non procul ab urbe Almeria et promontorio de Gates tunc existebamus; impediti interim fuimus, ne plura quam tria sacra, coeteris sacra Synaxi reffectis, legere possemus. In prandio sani omnes comparuerunt. Haesere turcicae naves veluti in insidiis inter illorum littorum cautes et precipitia ac rupes, donec circa secundam pomeridianam iterum ex cavernis sius exeuntes versus ortum ad promontorium ipsum ascenderint, et postquam, an

nulla minora navigia forte adventarent, aut vicinia forent, circumspexissent, versus Africam denuo abierunt. Optimo hac die vento usi sumus nemoque non bene valuit. Vesperi remittente nonnihil vento, lucere delphini navi vicinissimi, magnitudine ingentes, quosvis boves excedentes, piscis alius post delphinos eos ipsos mole facillime superans, totam navem circumnavit, coloris erat nobis alias nondum visi, candidissimi scilicet, ac partim viridis, et alternatim flavi, immo etiam rubric, et cerulei, et quidem splendoris tam mirabilis, ut etiam quando ad 2 vel 3 pedes aut etiam ad plures undis immersus, sideris decorum multum imitari videretur. Tota hac die ad dexteram in conspectum habuimus Granatenses Hispaniae montes, plurimis, non minus quam tirolenses caucasi (?) mense martio vel aprili vectianis (?) nivibus tectos.

6. Favit usque ad meridiem ventus. Vesperi primo quatuor, deinde insuper quinque, alias naves ab occidente advenientes conspicati sumus, sed iis non turbati sumus neque impediti quo minus praeter consuetas litanias et preces, Tertiam Rosarii seu Psalterii partem decantarem.

7. Ante meridiano tempore ventus admodum turbulentus fuit, vesperi eum secuta est malatia. Imgruentibus tenebris, antequam luna oriretur, observatae constellationes variae praesertim australes. Aram, Lupum. Centaurum et similes, quae in Germania tam facile conspici non possunt. Alias frigidiori, quam in aestate sperari posset, aura his diebus usi sumus.

8. Continuavit malatia et alternatim succedens ventus contrarius, qui nos a freto Herculeo seu Estrecto de Gibraltar, potius repelleret, intransibus enim magno impetu magnis ex oceano Atlantico in Mediterraneum undis. Vesperi coepimus clarissime etiam libero oculo Africae litora videre, praesertim bicollem montem ad Ceutam Hispanorum urbem ac munitionem, e regione africana montis huius plures in Hispaniam tendentibus occasum versus. Ad dexteram montis, alii siti sunt; in vertice unius horum montium, dum eodem vespertino tempore nostrorum quatuor circumeuntes oras maritimas contempleremur, se draconem intueri unus nostrorum exclamat. Respicio cum coeteris, et tum libero oculo, tum ac praesertim tubo obtico, monstrum aliquod formae quasi draconis huic persimilem, permutans clare vidi itidem supra montis verticem, re vera paulo post omnino apparere desinente; dum interim eundem montem invariaturum contemplanus, velut sylva, ex praealtis arboribus constans, cuius tamen ante nec vestigium apparuerat, conspici coepit, hac fere forma: hac autem velut sylva, paulo post velut in navim maximam mutata est, cuius duo errant velut rostra, antrorsum unum ad meridiem, alterum ad septentrionem tendens, sed nihil minus peroptabile, quam videre magnis prorsus incrementis 40 vel 50 pedum crescere et decrescere rostra illa, seu acumina, hanc velut figuram exprimebat. Tandem in formam ingentis incudinis, prout unamini consensu omnes in puppi existentes dicebamus, abiit. Denique videri omnino desiit. Dum haec scribo occurrit montem hunc, qui istorum spectaculorum theatrum fuit, medium nos inter et Gades situm fuisse. Desiderabatur qui nobis rem et mysteria exponeret: fuit qui omnia in turcarum artes magicas, quibus Turcae africani addictissimi esse dicuntur, refunderet. Per noctem ad tria milliaria germanica perreximus.

9, Mane et tota die malatia tanta, quantam alias nondum eramus experti, cui et totius diei magno calori finem imposuit ventus vespertinus, qui flare coepit, postquam Magister Calvanesse insignem ad nautas de devotione erga Beatam Virginem, concionem habuisset, et praeter coeteras preces, recitata esset tertia psalterii Beatae Virginis pars.

10. Mane plures exceptae confessiones; malatia duravit usque ad octavam. Sacrum legimus omnino octoni, nautarum multi sacra synaxi refecti sunt. Ventus post malatiam ab occidente tam vehemens secutus est, ut navis S. Nicolai vela lacerata sint. In prandio multi nostrorum maris nausea scaterere. Ad coenam quini propterea comparere non potuerunt, immo ex iis qui comparuerunt, non nisi quinque usque in finem perseverare potuimus

11. Tanta fuit contrarii venti vehementia, ut nullus hodie potuerit sacrum celebrare ob nimiam navis agitationem, immo retrorsum in orientem, usque ad viciniam urbis Malagae perreximus, ibidem in sinu maris quietioris anchora iacturi. Dum itineri nostro faventior ventus spiraret, atque hac ratione trium horarum spatio itineris, trium millarrium germanicorum quod lento 4 dierum cursu perfecereamus, citissime iacturam fecimus. Non diu ibidem expectavimus advenientes Gadibus naves: nuntiarunt Galleones Hispanicos, non item classem Gadibus solvisse. Dum a mensa surrexissemus circa medium 12, turis primariae anchoraga, quam ieceramus ob ventorum vim, fractae, causa fuere maioris laboris et magno periculo, ne ad proximam Sancti Nicolai navim allideretur, nostra nos reliquit. Succedente malatia, pro aqua, pro frugibus, pro piscibus cymba missa est, quae praesertim piscibus, quos ab Hispanis in vicinia picatoribus fere dono copiosissime acceperant, onusta rediit. Unius piscis, qui mole et pondere sat magnam sabellicam bestiam superabat, haec fere figura erat, Itali molam vocant, caudam in tergore gerit. Circa medium sequentis noctis ventus orientalis, nobis desideratissimus spirare coepit; statimque expansis velis in occasum itineri nostro iactitissimus, nisi ex mari expiscanda et extraenda nobis fuit nostra primaria anchora; id quod ante ortum solis vix effectum est.

12. Interim denuo cessare ventus, et nos in antiqua statione relinquere perrexit. Missi ergo denuo in cymba, qui recentes panes, gallinas, fruges et aquam adveherent cum exigua spe tam cito ex eo loco discedendi; iuncti etiam ex nostris terni, qui in terra respirarent. Non nisi sero rediere omnes, rebus variis instructi. Qui ad sarcinas manseramus, finito prandio, navis nostrae magnitudinem mensi sumus, reperimusque illius longitudinem pedum 168, latitudinem 38, altitudinem 52, mali altitudinem 150, crassitiem 10. Paulo ante coenam nauturam quidam piscem librarum 6 circiter hamo coepit [!], admirandae omnino venustatis erat praeda haec: capitis et tergoris color intermixtis velut argenteis stellulis corallinus ac vicacissimi nitoris erat, ventre candido ac velut eburneo, intermediis lateribus aureis mixto ad intervalla colore viridi et caeruleo, lucentissimos oculos venustissimos rapticos splendidissimis topaceis auroque inclusos dixisses. Verbo nullae avium quantumcumque venustissimorum plumae possent pisci huius decorem, coloribus omnibus mire adeo variegatum atque illustrem imitari; mirabilem, diximus, Deum in operibus suis. Horam dierum vento contrario tale saepe frigus iungebatur, ut nostrorum plures ad pallia et vestes pileolorum hyemales confugere cogeret.

13. Many favit ventus. Elevatae ergo anchorae, expansa vela, porrectum propere. Circa decimam cursus noster fuit nonnihil impeditus ab advenientibus 12 holandici navibus, quas initio pro turcicis habuimus. Frequentes hoedie nebulae etiam vicinorum montium aspectum adimebant, unde nocte sequenti per errorem, hactenus nondum commissum, a via nostra deviavimus, nam cum ingruentibus insuper nocturnis tenebris in ingressu fere ipsius Herculei [freti] existeremus, dum Africae montem pro monte Hispaniae habuerunt navis directores, eumque a dextris reliquere, dum ad sinistram relinquere debuissent, sinum quendam Africae versus meridiem ad Ceutam urbem ingressi sumus.

14. Orta aurora, itineris nostri errorem luculenter deprehendimus. Dum ergo in septentrionem revertimur, ab oriente ex Barbariae littoribus adventantem magnam navim speculatores nostri conspexere, suspicio erat plures secuturas; unde, ut quam citissime ad pugnam disponderentur omnia, nobis omnibus solito maturius a somno excitatis et strata linquere iussis, vix sine magno viae dispendio, iter oblique et lente instituebamus, donec paulo post, et navis ignota et periculum totum evanuerit; dum ad ipsas freti fauces pervenimus flexis omnes genibus Beatam Virginem de Europa, quae ibidem in Hispaniae finibus colitur, venerati sumus, Hodie praesertim a prandio vento optimo usi sumus. Finito statim prandio, tribus ante meridiem horae quadrantibus, dum in ipso freto Herculis versaremur, inter Teriffam et Tanger constituti, more pluribus alias diebus consueto, altitudinem meridianam solis supra horizontem nostrum observare coepimus, reperimusque altitudinem summam graduum 75,40 minutorum. Mecum observationem instituit dominus capitaneus Columbus genuensis, Christophoro Columbo Americae olim inventori cognatione et sanguine iunctus, qui negotiis et plurimum delectatur, et libris ac instrumentis ad id facientibus instructus est. Dum autem vento faventissimo cousque rorrexissemus, ut traiecto freto, Africanas oras vesperi conspicerem; ecce in occumbente sole eclipsin (nisi quidquid a dulcissimi Numinis dispositione pervenit, iucundissimum nuncupemus) longe tristissimam: vidimus nimirum vix milliari germanico a nobis remotam, classem Hispanicam ex Gaditano portu ad Indos abeuntem, navium 44 numero constantem, et quae nos quoque, si vel horis aliquot maturius illa die Gades pervenire valuissemus, in Mexicum deportare debuisset. Vidimus, inquam, eo revera tempore et loco, ut dum solare corpus marinis undis mergi nobis videretur, in ipso solari disco illud sua opacitate eclipsantes naves multas clarissime intueremus. Speculum lugubre sic rudissime aegerimo [nobis]. Visa autem hac lugubri scena omnes facile suspicati sunt quod erat, de discessu nostro ex Europa hoc anno future, spes a plurimis deposita est. Ingruentibus tenebris ad ipsum fere portus Gaditani ingressum pervenimus, sed ne illum possemus etiam sequentibus 4 diebus intrare, tum ventus contrarius, tum rigor in admittendis advenis ab Hispanis hic, ob contagionem vicinam, adhiberi solitus, obstitit. Fracta quoque in hoc ingressu tentando binis vicibus vela, nos in magno periculo, ne in frequentes huius orae scopulos impingeremus, relinquere. Aduere tandem 19 huius mane ab urbe missi 7 magnates, qui navim nostram et merces inviserent, institutoque pro gentis et officii more, illustrissimi Capitanei nostri sumptibus, conviviolo, facultatem urbem libere intrandi omnibus concessere; interim, in alia navi, ad nos in urbem et Collegium devehendos exiverat, etiam Reverendus P. Petrus de Expinar Indicarum missionum procurator, a quo cum dolore audivimus quod avide sed frustra adventum

nostrum hactenus expectasset, ut adeo iam aequae pro nobis quam pro ceteris pretium 15000 patacon seu florenorum 22500 classi praefecto iam ante tres septimanas Hispali dedisset; quo nos omnes suis deinceps sumptibus in Mexicum deveheret; refundetur tamen in Indiis summa illius valoris, quae personas nostras concernere debuisset. Scripsit interea Romam R. P. Procurator, ut inde ab Admodum R. P. Generali nostro quid de nobis, dum occasio nos in Mexicum transmittendi occurrat (occurreret autem ut speratur saltem post annum) disponendum intelligat. Hos anno expectabimus Hispali, ubi, velut in separato collegiolo, in aedibus et horto Collegii sancti Hermenegildi, Gadibus huc nos ante quadriduum, deduxit R. P. Procurator noster P. Petrus de Expinar, erga nos plusquam paterne humanissimus et benevolentissimus. Praeter ternos per decursum elapsi septennii pro fide occisos, scilicet P. Ludovicum de Melina, P. Didacum de Sancto Victore et P. Cassanova, novissime itidem in Marianis insulis veneno pro fide extincti sunt P. Franciscus San Basilius, et Petrus Diaz illius socius. Nos in omnibus Deo benedicere satagimus, nos ipsos ac iter nostrum et nostra omnia eidem enixe commendando, utque et Revenetiae Vestrae nos et nostra pientissimo Numini commendare dignetur rogo impensissime, me proinde (et se P. Antonius Kerspamer) Reverentiae Vestrae, R. P. Provinciali, R. P. Gothardo Luca, R. P. Rectori Ingolstadii demisissime ac enixissime commendo; et quia Ingolstadiensi Collegio me plurimis titulis obstrictissimum fatebor et fateor, Reverentiam Vestram, nisi in eam inurbanior, idem impense rogo, velit literas hasce cum annexa rudi Geographica itineris nostri tabula ei transmittere.

Hispali 27 julii anno 1678.

Reverantiae Vestrae obstrictissimus in Christum servus

Eusebius Franciscus Chinus

Societatis Jesu in Mexicum destinatus.